

1775

1. Bodinus, Benjamin Tullius Lectorius: Elogium S. Pauli
et Ritteri . . . super placita morte defuncti.
2. Kuegel, Emanuel Georg Christianus: De lectionis novis
ter reportis
3. Reinhardus, James Carolus Gilhardus: De take ex feido
praestante.
4. Herutius, Emanuel Fredericus: De synodo palmarie.
5. Niesand, Georgius Stephanus: Ordines juridici
. . . secundum: lectori benivols salutem plurimam
nihil per disputacionem invenit. Iamque Prati Ferdinandi
nunt. Schriftor invita)
6. Niesand, Georgius Stephanus: Theses juris Romani
aliquae Germanae
7. Niesand, Georgius Stephanus: Observations
juris Romani et Saxonici.
8. Niesand, Georgius Stephanus: Observations juris
Romani et Saxonici.

9. Wiesauvius, Georgius Stephanus: *Observationes pro
Romanis et Saxonibus*
10. Wiesauvius, Georg Stephanus: *Theses juris
Romani*

FELICITIS-MODERVIS
EGORVMQVE POLONIA

REX POLONIE

HOMMELIUS

EX SIGHT EPISCOPALIVR PROF PUBL
FACULTATIS AVRIDICHE
SCHOLAR

1700-1701-1702

1703-1704-1705-1706-1707

1708-1709-1710-1711-1712

1713-1714-1715-1716-1717

1718-1719-1720-1721-1722

1723-1724-1725-1726-1727

1728-1729-1730-1731-1732

1733-1734-1735-1736-1737

1738-1739-1740-1741-1742

1743-1744-1745-1746-1747

1748-1749-1750-1751-1752

1753-1754-1755-1756-1757

1758-1759-1760-1761-1762



OBSERVATIONES
IVRIS ROMANI ET SAXONICI
Q V A S 1775 7
PRAESIDE
D. GEORGIO STEPHANO
WIESANDIO
PROFESSORE INSTITVTIONVM ORDINARIO CVRIAЕ
PROVINCIALIS SCABINATVS ATQVE COLLEGII
IVRECONSVLTORVM ASSESSORE EIVSDEMQUE
H. T. DECANO
DIE VI OCTOBR. A. S. R. C I D I O C C L X X V .
H. L. Q. S.
AD DISCEPTANDVM PROPOSITVRVS EST
CAROLVS FRIDERICVS AVGVSTVS HOEPPNER

PLAVIA - VARISCVS.



VITEMBERGAE
LITTERIS CAROLI CHRIST. DÜRRII ACAD. A TYPIS.

I.

Consuetudo honestati contraria vim iuris non obtinet.

Herique iuris interpretes aequitate naturali ducti, consuetudinem honestati contrariam merito reiiciunt. Quam sententiam, licet eandem ipsa honestas commendet, nonnulli tamen tamquam friuolam vehementer impugnant, ex quibus hic nominasse sufficit Christian. Thomassum in *dissertat. de iur. consuetud. et obseruant.* §. 36 seqq. et Henric. Christian. de Senckenberg. in *dissertat. de iur. obseruant. et consuetud.* §. 7. Neque temere huiusmodi communem opinionem deseruisse videntur. Etenim consuetudo, si priscos iureconsultos consulis, est ius moribus receptum, quod per plures annos obseruat, tacita veluti conuentione comprobatum est. L. 32. et l. 35. *D. de legib.* Neque veteres in consuetudine honestatem desiderant. Quin in ea potius verlanter opinione, interdum fieri, ut quedam ex errore contra rationem iuris recipiantur, vti ex l. 15 et l. 39 *titul. excitat.* luculenter perspicitur. Multa antiquitus obtinuerunt ab aequitate naturali aliena, vti Io. Barbeyracius in *Discours sur le benefice des loix recte obseruavit.* Sed his tamen non mouemur, vt ab opinione recepta discedamus. Tota lis facile tollitur, dummodo accuratam temporum habeamus rationem. Eo enim tempore, quo populus Romanus plena adhuc fruebatur libertate, ius non scriptum tacito eiusdem consensu inualuit. Sub imperatoribus consuetudo aliter rata esse non potuit, quam si principis accessisset consensio. Constantinus Magnus vero repudiauit consuetudines rationi repugnantes. Ita enim l. 2. *C. quae fit longa consuetudo,* praecepit: *consuetudinis ususque longaeui non vilis auctoritas est, verum non usque adeo sui valitura momento, ut aut rationem vincat, aut legem.* Hanc sanctionem flebilis istius aetatis conditio extorsisse videtur principi, qui in religione a pristinis erroribus purganda moribusque perniciofissimis fortiter profligandis maximopere elaborauit. Postea Iustinianus in *Nouell. 134. cap. 1.* improbas consuetudines acri odio persecutus est iisque vim iuris denegauit. Rationes edicti his verbis exprimit: *male enim adiuuenta malaque consuetudines, neque ex longo tempore, neque ex longa consuetudine confirmantur.* Non igitur est dubium, quin iure nouo consuetudines minus honestae sint vetitae. Hodie in Germania auitis quidem moribus inhaerendum erit eosque ipsae leges imperii publicae tuentes acriter. Sed id vnicce de bonis, non vero de malis affirmandum est. *Instrument. pac. Osnabrug. art. 8. §. 4. Constitut. criminal. Carolin. art. 218.* Mores improbos temporis diuturnitas haud purgat, id quod noto satis declaratur proverbio: *hundert Jahr unrecht, ist keine Stunde recht,* quod praecclare exposuit Illustr. Io. Frider. Eisenhartus in *paroem. iur. German. p. 21.*

II.

II.

*Definitio seruitutis in l. 4. D. de stat. homin. non est
satis perfecta.*

Licet iuris Romani decreta ab omni iniuria lubenter vindicemus, atque temerarias nonnullorum reprehensiones moleste feramus, fateri tamen cogimur, interdum veteres iureconsultos non satis accuratas rerum notiones expressisse. Cuius quidem vitii nunc accusamus Florentinum, qui in *l. 4. D. de stat. homin.* seruitutem putat esse constitutionem iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subiicitur. Primo quidem nobis Florentinus in eo errare videtur, quod originem seruitutis ex communi gentium iure repeat. Non negamus, iuris civilis magistros quae-dam moribus gentium necessitatis, vel utilitatis causa recepta, ad ius gentium re-ferre. Sic Hermogenianus in *l. 5. D. de iustit. et iur. dominia*, commercia aliaque inde orta esse, contendit. Concedimus quoque, Romanos sibi persuasissime, seruitutem in bellis fuisse natam, cum hi, qui imperio victoris se submiserant, seruati incolumes, per ipsam captiuitatem duriori seruituti subiicerentur, vti ex *l. 239 D. de V. S.* perspicitur. Eum enim morem priscis gentibus fuisse usitatum, argumentis satis idoneis probavit Hugo Grotius de *iur. bell. et pac.* Libr. 3 cap. 7. Sed id, quod moribus introducendum est, non ex fontibus iuris naturalis, quod ubinis terrarum parem habet vim, deriuandum est. Accedit hoc et alia ratio, quae Florentini eroremclare patefacit. Scilicet non uno, sed dupli modo Romanis seruos acquisidere, aut iure gentium, aut iure civili. *l. 5. D. de stat. homin.* At modos ciuiles ignorat naturalis ratio. Deinde nobis ideo Florentinus displicet, quod eos, qui populorum moribus serui facti sunt, dominio alieno addixerit. Seruos Romanos tamquam res corporales in vero exstitisse dominio, nemo facile negauerit. Erant enim res mancipi, de quibus dominus suo statuere potuit arbitrio. Ulpianus in fragment. *Tit. 19. §. 1. Tit. D. de seru. exportand.* Saepius commodabantur, vel pignori obligabantur. *l. 5. §. 13. D. commodat. vel contra.* *l. 61. §. 1. D. de furt.* Quin ob possessionem serui amissam actionem Publicianam, ob seruum surreptum vero conditionem furtivam fuisse concessam, ostendit *l. 6. de Publician. in rem action. et l. 3. D. de condit. furtiv.* Hinc vita ciuili destituti, mortuis videbantur esse similes. *l. 32 et l. 209 D. de R. I.* Differabant quidem ministeriis, sed una eademque omnium, si potestatem dominicam respicis, erat conditio. *§. 5. I. de iur. personar.* Haec licet iure Romano sint vera, neutiquam tamen omnibus gentibus sunt tribuenda. Certe longe melior fors obtigerat olim seruis Germanicis, de quibus Tacitus de morib. Germanor. cap. 25 haec tradit: ceteris seruis, non in nostrum morem, descriptis per familiam ministeriis, vivuntur. Suum quisque sedem, suos penates regit. Frumenti modum dominus, aut pecoris, aut vestis ut colono iniungit et seruus habetens paret. Cetera officia domus uxor ac liberi exsequuntur. Verberare seruum ac vinculis et opere coercere raro. Occidere solent non disciplina ac seruitute, sed impetu et ira, vt inimicum, nisi quod impune. Quo ex loco facile perspicimus, seruos Germanicos agris potissimum colendis et ministeriis rusticis inferuisse, atque dominis inde necessaria vitae subsidia subministrasse, ceterum vero

4

próprias condidisse familias, neque vi potestatis dominicæ eosdem occidi potuisse. Lenius quoque apud veteres Gallos tractatos fuisse seruos, ex iis, quae Iulius Caesar de bell. Gallic. Libr. 6. cap. 13 memoriae prodidit, facile est ad intelligendum, vt ideo errauerit Caius, qui in L. i. §. i. D. de his, qui sui, vel alieni iur. sunt, potestatem Romanorum dominicam apud omnes peraeque gentes reperiri, existimauit. Denique Florentinus, dum seruos dominio contra naturam subiici statuit, varia seruorum discrimina neglexisse videtur. Vti enim hoc de seruis, quos leges et mores inscios vel inuitos libertate priuant, recte affirmatur, ita e contrario ad eos, qui sponte se dominorum arbitrio submittunt, atque scientes libertatem cum seruitute commutant, haud pertinet. Melius igitur noster iureconsultus fecisset, si in eo loco, quo seruitus in genere erat describenda, ea, quae omnibus seruis sunt communia, attulisset, atque Diogenis Laertii vestigia pressisset. Hic enim de vit. claror. philosophor. Libr. 7. §. 122 seruitum ait esse στέγην ἀντοπραγμάτων. Addit: ἔνας δέ τοι ἀλλοι δουλείαν τὴν ἐν ὑποτάξει, η ἀντιθέτει η δεσποτεία. Omnis scilicet seruitus continet necessitatem viuendi ad arbitrium domini, cuius potestati quis subiectus est. Ne tamen Florentinum prorsus deseramus, benignius eius sententiam de seruitute, quae ex captiuitate bellica originem duxit, interpretari debemus. Iuuat hanc interpretationem Theophilus ad §. 2. I. de iur. personar.

III.

Thesaurus in fundo, quo quis vtitur ac fruitur, repertus, simpliciter ad usufructuarium haud pertinet.

De thesauris saepe acerrimae natae sunt controversiae. Plerique enim homines patrimonio adaugendo intenti, lucro fortuito, quod nullo labore comparatur, maximopere delestantur. Non igitur inutilis est quæstio, ad quem pertineat thesaurus in fundo, cuius usumfructum quis percipit, inuentus? Recte thesaurus a Tryphonino in L. 63. D. de adquir. ver. dom. donum fortunæ dicitur, cum is non ab arte vel industria hominis profiscatur, sed soli fortunæ prosperæ beneficio debatur. Nec dubitandum, quin usufructarius, si ipse thesaurum inuenerit, eius portionem iure petat. Exstat in hanc rem pulcherrima Hadriani Imperatoris sanctio, quam Spartanus in eius vita cap. 17 his quideam verbis refert: *de thesauris ita cauit, ut si quis in suo reperiisset, ipse potiretur: si quis in alieno, dimidium domino daret, si quis in publico, cum fisco aequaliter partiretur.* Qua quid sit aequius, vix sciimus. Ita enim et dominus soli lucrum, quod in eius fundo latuit, ei inuentor praemium industriae aequali commodo confequitur. Licet vero postea, vti ex l. 2. Cod. Theod. de thesauris constat, ei, qui in alieno fundo thesaurum repererat, quarta duntaxat pars concederetur, constitutionem Hadriani tamea pristino vigori Imperator Leo in l. vnic. Cod. de thesaur. restituit, candomque ob aequitatem comprobavit Iustinianus §. 39. I. de diuīs. rer. Sed nunc non eam speciem tractamus, quae usumfructuarium duntaxat tamquam inuentorem vetustæ pecuniae considerat. Namque plus iuris competit usufructuario, qui quidem rebus alienis ad necessita-

necessitatem vtitur, ad commoditatem vero fruitur. *L. i. D. de usufructu.* Eum vero omnia ea, quae in fundo nascentur atque inde percipiuntur, sibi acquirere, Vlpianus in *l. 9. D. Tit.* addidit. statuit, ita quidem, vt ab usu lapidicinarum, certifodinarum et metallorum non sit excludendus. Neque venas auri, argenti, et ferri indagare prohibetur. Quin ex eo, quod vi diuina accedit, eum interdum aliquid commodi capere, *l. 12. D. Titul.* excitat. dubitare haud sinit. Incrementum alluionis ei prodesse, certissime sumus persuasi, licet haec sententia nonnullis non satis firma esse videatur, de qua controvrsia, quid statuendum sit, breuiter exponeamus. Alluionis usumfructum ad fructuarium pertinere, in *l. 9. §. 4. D. de usufructu.* ab Vlpiano afferitur. E contrario Paulus in *Sentent. recept. Libr. 3. Tit. 6.* §. 22 haec profert: *accessio alluionum ad fundum fructuarium, quia fructus fundi non est, non pertinet.* Hunc locum corruptum esse, quisque facile animaduertit, cum alluio tamquam naturalis accessio fundum adaugeat eique accrescat. Hinc Gerard. Noodtius de *usufructu. Libr. 1. cap. 6.* verbum, *fundum, delendum esse, arbitratut.* Leniorem correctionem adhibet Anton. Schultingius in *animadversionibus* ad locum Pauli excitatum, dum pro *fundum, legendum esse fundi,* censet. Cuius quidem sententiam eo lubentius sequimur, quo magis remedia leniora durioribus praferimus. Errant vero, qui hic Paulum ab Vlpiano prorsus dissentire, opinantur. Recte enim Vlpianus statuit, fundi usumfructuarium etiam eo incremento frui, quod per alluionem adiecitum est, cum portionem fundi, vnde omnes fructus capit, efficiat. Quas quidem sententia etiam auctoritate *Basilicor. Libr. 16. Tit. 1. l. 9. §. 3.* confirmatur. Paulus e contrario non de usufructu alluionis, sed de eiusdem proprietate est accipendus. Ex iis, quae haec tenus disputauimus, manifestum est, usumfructuarium interdum quoque eiusmodi emolumenta, quae magis a fortuna, quam humana industria pendent, acquirere. Sed ideo thesaurum in fundo, in quo ius suum exercet, ei simpliciter tribuere nolumus. Si eum extra-neus reperit, nihil inde capit. Sin ab ipso usufructuario repertus est, ei pars dimidia tamquam inuentori cedit, vti copiosius monstrauit Aurel. Galuanus de *usufructu. cap. 30.* Inde explicanda erit *l. 63. §. 3. D. de acquirend. rer. domin.* vbi dicitur, usumfructuarium, si in fundo eius proprio seruus, cuius ususfructus ad ipsum, proprietas vero ad alium pertinet, thesaurum inuenierit, pro parte tantum eundem esse habiturum, de quo argumento consulendus est Cornel. van Bynkershoeck in *obseruat. iur. Roman. Libr. 2 cap. 4.*

IV.

Caput liberum in l. 1. D. de tutel. significat patrem familias impuberem.

Definitio tutelae, quam Seruius dedit, Paulus vero in *l. i. D. de tutel.* comprobauit, interpres iuris ciuilis vehementer exercuit, variasque lites peperit haud prorsus inutiles. Ad has vero et ista pertinet quæflio, quo modo verba, *in capite libero,* sint interpretanda. Ac primo quidem certum est, hic more dicendi antiqui-

~~HISTORIA ROMANA~~

tus recepto, casum auferendi pro casu accusandi fuisse usurpatum, exemplo probatissimorum auctorum, vti Carol. Andr. Duker de *Latinitat. veter. iurisconsultor.* p. 350 seq. et Euerard. Otto ad §. 1. I. de tutel. copiosius ostendere. Deinde negandum non est, caput liberum simul denotare hominem liberum, qui potestati dominicae haud subest. Tutela enim in seruum, qui alieno dominio subieclus, vnicce ab arbitrio domini pendet, haud cadit. Hinc, si pupillus, qui antea tutorem habuit, postea in seruitutem fuisset redactus, tutela, auctore Vlpiano in L. 14. §. 1. D. de tutel. finiebatur. Sed hoc nondum sufficit, cum faepius is, qui libertate fruatur, tutorem non accipiat, vti exemplo eorum, qui ob delictum commissum deportati, ius ciuitatis Romanae amiserent, luculenter constat. §. 1. I. quibus modis tutela finiatur. Quorundam etiam referendi sunt homines suae potestatis, qui se ab alio arrogari possunt. Vlpianus in *leg. adduct.* Cum vero deportati et arrogati pristinam libertatem retineant, facile intelligitur, capite libero hominem duntaxat liberum haud exprimi. Rectius dixeris, his verbis comprehendendi patremfamilias adhuc im-
puberem. L. 195. D. de V. S. Egregie Pomponius in L. 239. D. de V. S. eiusmodi hominem ita describit: *pupillus est, qui, cum impubes est, desit in potestate patris esse, aut morte, aut emancipatione.* Ei enim, qui adhuc patris potestati subest, tutor haud datur, cum is paterno auxilio iuuetur, neque aliena tutela indigeat. Quin ne is quidem, cuius pater per captiuitatem in hostiis potestatem venerat, licet pater abesset, atque impubes eius praefidio orbatus, variis exponeretur periculis, tutorem consecutus est. Dabatur tamen ei curator, ne, patre absente, eius bona perirent. L. 6. §. 4. D. Titul. excitat. Quodsi pater in ciuitatem rediisset, pristina iura, postlimini iure recuperabat. Vlpianus in fragment. Tit. 10. §. 4. Sed, vt nostrae interpretationi aliquid auctoritatis accedat, testimonium denunciamus Aulo Gellio, qui Libr. 5. cap. 19 haec tradit: *neque pupillus autem, neque mulier, quae in parentis potestate est, arrogari potest, quoniam et cum feminis nulla comitorum communio est, et tutoribus in pupilos taniam esse auctoritatem potestatemque fas non est, ut caput liberum fidei suae commissum, alienae dictioni subiiciant.* Consugimus quoque ad patrocinium Vlpiani, qui in fragment. Tit. u. §. 5. hancce proponit sententiam: *qui liberum caput mancipatum sibi, vel a parente, vel a coemtore manuunxit, per similitudinem patroni tutor efficitur, qui fiduciarius tutor appellatur.* Ceterum commendamus ea, quae Laurent. Andr. Hambergerus in *commentat. de utilitat. ex humanior. liter. in iurisprudent. stud. capienda, in opuscul. p. 290 seq. obseruavit.*

V.

*Tempore messis iudicia pagana in Saxonia Electorali non
sunt clausa.*

Tempore messis neminem esse cogendum, vt in iudicium veniat, et tunc de iis solum rebus, quae tempore, vel morte periturae sunt, ius dici posse, Vlpianus in l. 1. seqq. D. de fer. auctor est. Hoc vero tempus apud Romanos a die octauo Calendarum Iulii vique in Calendas Augusti fuisse conceleatum, L. 2. C. de fer. docet.

Tempus

Tempus vero fationis his fériis non esse annumerandum, August. a Leyser *in mediat. ad Pandect. specim. 35.*, 4 bene obseruat. In Saxonia nostra quid statuendum sit, haud temere queritur. Vulgo quidem statuitur, ferias humanas certas, ad quas tempus messis facienda referuntur, liberare a necessitate comparendi in iudicii. Lüder Mencke in *Systemat. iur. civil. secundum Pandect. Libr. 2. Tit. 12. §. 5.* Io. Henric. de Berger in *Oeconom. iur. Libr. 4. Tit. 14. §. 2. not. 4.* Sed hanc sententiam in nostra patria non sine cautione esse sequendam, mox probabimus. Scilicet in *ordinat. process. recogn.* *Tit. 2. §. 4.* sapienter praeceptum est, vt ii, qui prædia equestria tenent, atque iurisdictionem patrimoniale exerceant, quotannis certis temporibus iudicia stata habeant, simul vero cautum est, ne eiusmodi iudicia tempore fationis atque messis instituantur. In *eadem* vero *ordinat. Tit. n. §. 5* sancitum est, ne feriae humanae alias iure constitutae, in peragendis negotiis forensibus amplius attendantur. Sed hae sanctiones sibi haud sunt contrariae. Nam *Tit. 2* constitutum, vt dies certi sollemnes quotannis destinantur, quibus ius ruri reddendum communiter, excepto tamen tempore fationis et messis. Ideo vero non interdictum est singulares causas tempore quidem messis rite persequi, quia eiusmodi feriae secundum *Tit. n.* amplius non obtinent. Rem exemplo illustrabimus. Dominus quidam aduersus subditos instituerat possessorum suminarium. Subditi rite citati, vt sub poena confessorum et conuiictorum litem contestarentur, in termino praefixo haud comparent. Ante terminum vero in scriptis oppouunt exceptionem feriarum seque laboribus rusticis impediri, quo minus citatione obtemperent, serio affirmant, atque progressum termini, appellatione interposita, retardare student. Actor eorum contumaciam accusat. Subditorum appellatio a Principe serenissimo reicitur. Acta ad iureconsultos Vitembergenenses transmittuntur. Hi vero mense Septembri anni praeteriti subditos ob commissam contumaciam pro confessis et conuiictis habuere, et ita, vt actor rogauerat, condemnauere, subiuncta potissimum hac decidendi ratione: weil die Disposition der Erläut. Proc. Ordnung *T. 2. §. 4.*, da darinnen nur genisse Gerichts-Tage in der Saat- und Erntete-Zeit auf dem Lande zu halten untersaget worden, ex *Tit. n. §. 5.* aber deutlich erhellet, daß die Ernte und andere sonst in denen Rechten geordnete Feriae humanae, wegen derser Termine, und übriger Actuum judicialium, weiter nicht zu attendiren, ihnen nicht zu statthen kommen mögen.

VI.

Emtor, postquam ei res emta a venditore est tradita, si terminus solutionis constitutus non est, pretium statim soluere debet.

Emtionem venditionem, si inter emtorem et venditorem de re pro certo pretio tradenda conuenit, esse perfectam, omnibus notum est. Sed, num emtor hodie in Saxonia Electorali, si terminus solutionis haud est constitutus, statim post traditionem rei emtae, pretium soluere teneatur, ob ea, quae in *appendic. §. 6. ordinat.*

dinat. process. recognit. sanciuntur, dubitare quis possit? Commemorare hoc loco iuuat litem, quae anno superiore inter quendam emtorem et venditorem de hac re inciderat. Vendiderat quis alteri aliquot amphoras cereuisiae, quae ad emtorem feliciter transferebantur, nullo pretii soluendi termino praefixo. Venditor ab emtore acceptae cereuisiae pretium postulabat, et, cum id praestare recusaret, eundem actione venditi conueniebat. Emto callido consilio prouocabat ad §. 6. appendix ordinat. process. recognit. atque exceptionem actionis nondum natae. obiciebat Res ei ex voto cedebat. Etenim iudicatum fuit, daß Klägers Suchen noch zur Zeit für unstatthaft zu achten. Actor hanc sententiam remedio leuterationis impugnabat. Iureconsulti Vitembergenses priorem sententiam correxerunt, reumque ob contumaciam, quia documentum, in quo fundamentum actionis erat collocatum, non recognouerat, ex sententia actoris condemnarunt, atque inter alias decidendi rationes, hanc addidere: hiernächst die aus dem Anhange der Erläut. Proc. Ordnung §. 6 angezogene Stelle hier um so weniger zu appliciren stehet, da selbige blos von dem Fall, wenn in einem Documente eine ungewisse und unbestimmte Zahlungs-Frist gesetzt, und zum Exempel die Bezahlung ehestens, oder doch, so bald möglich, in gleichen nach und nach, oder nach guter Gelegenheit versprochen worden, keinesweges aber davon, wenn gar kein terminus solutionis gesetzt worden, handelt, vielmehr, da Beklagter die libellirte Post Klägern für erhaltenes Bier schuldig worden, ein Käufer aber, sobald ihm die erkaufte Sache vom Verkäufer übergeben worden, das bedünne Kauf-Geld lehtern zu bezahlen schuldig,

L. 13. §. 20. D. de action. emt. et vendit.

L. 5. C. de action. emt. et vendit.

Leyser Specim. 2u. meditat. 1 seqq.

kein Zweifel vorhanden, daß Beklagter sofort, nachdem er das erhandelte Bier erhalten gehabt, Klägern die schuldige Zahlung dafür zu leisten verbunden gewesen. Condemnatus simul fuit reus, vt interesse morae secundum decisionem XV de anno 1746 actori praestaret.

Wittenberg, Diss., 1774-76

ULB Halle
004 335 880

3



f

5b.

Farbkarte #13



OBSERVATIONES

IVRIS ROMANI ET SAXONICI

Q V A S

P R A E S I D E

D. G E O R G I O S T E P H A N O
W I E S A N D I O

P R O F E S S O R E I N S T I T U T I O N V M O R D I N A R I O C V R I A E
P R O V I N C I A L I S S C A B I N A T V S A T Q V E C O L L E G I I
I V R E C O N S V L T O R V M A S S E S S O R E E I V S D E M Q V E

H. T. D E C A N O

D I E V I . O C T O B R . A . S . R . C I C I D C C L X X V .

H. L. Q. S.

A D D I S C E P T A N D V M P R O P O S I T V R V S E S T

C A R O L V S F R I D E R I C V S A V G V S T V S H O E P P N E R

P L A V I A - V A R I S C V S .



V I T E M B E R G A E

L I T T E R I S C A R O L I C H R I S T . D Ü R R I I A C A D . A T Y P I S .

